



† Exm̄nus et Rm̄nus D. Carmelus Cesarano
Archiepiscopus-Episcopus Aversanus (1869-1935)

(Prov. Neapol.)

Superiore a. 1935 Congregatio nostra ambos suos Archiepiscopos morte amisit, nempe d. 24 Maii Exm̄num Patritium Iosephum Clune¹ et d. 22 Novembris Exm̄num Carmelum Cesarano. Uterque in vita fuit praeclarum Instituti Alfonsiani decus, ac de utroque valet, et eminentiore quidem sensu, Horatianum illud: *Multis ille bonis flebilis occidit.*

Paganis, quodammodo in umbra gloriosi sepulchri S. Alfonsi, Carmelus Cesarano d. 24 Oct. 1869 ortum habuit ex Antonio Cesarano et Laetitia Gabola. Mature habitu ecclesiastico induto, studiis inferioribus superioribusque in Seminario Nucерino magno cum successu incubuit et in fine lauream theologiae in Neapolitana Universitate adeptus est. Die 23 Dec. 1893 Apostolorum successor ei manus imposuit.

Iuvenis sacerdos ardore illo, quo per totam vitam flagrabat, sacri ministerii operibus primum in patria sese dicabat, verum anhelans maiorem vitae perfectionem, in fine a. 1897 mundo valedixit et in humile Institutum Ligorianum se recepit. Vota religiosa emisit in collegio Iuranensi d. 17 Maii 1898.

Magnum opus Redemptionis ope missionum continuaturus, mox Italiae meridionalis plagas coepit peragrare, praesertim Calabriae, ubi collegio S. Andreae ad Ionium ter praefuit Rector. Hoc tempore magno cum zelo et successu clerum Calabriae spiritualibus exercitiis excoluit. Haud semel etiam iussu et auctoritate Pii PP. X Visitator Apostolicus fuit atque d. 21 Iul. 1912 a S. Alfonsi successore iussus est universam Provinciam Neapolitanam gubernare.

Haec Provincia tunc temporis constabat undecim domibus et alumnos habebat 117, quorum 74 choristae et 43 laici. His addendi 13 Patres, cum S. Sedis venia domi viventes, lugendae suppressioni anni 1866 etiamtum superstites. Novus Superior Provincialis nil antiquius habebat quam maiori dilectae Provinciae vigori providere. Itaque ephebeum seu iuvenatum, antea minus apte Angriae aut Licteriis consistentem et iam nuper a praedecessore, P. Losito sanctae memoriae, in historico collegio Iuranorum constitutum, expensis minime parcens gnaviter promovit. Adulescentulorum numerus brevi usque ad 40 ascendit².

¹ Cfr. *Analecta* XIV (1935), 280-284.

² Vide photographiam in *Litteris Annalibus Patris Damiani*, p. 35.

Cum clericorum studentium numerus tunc valde imminutus esset, eos Cortonam in studentatum Provinciae Romanae misit, et nos ipsi ex ore defuncti audivimus, quam gratam habuerit hanc, maiorem Provinciarum



unionem, pariter ac Pl. R. P. Provincialis Romanus Rochus De Sanctis († 23 Nov. 1918). Immo P. Cesarano ausus est etiam Alpium iuga superare et bis, a. 1912 et a. 1914, ad sepulchrum S. Clementis nostri oravit atque collegia varia Transalpinorum visitavit.

Qui semper fuerat missionarius zelo plenus, idem mansit in Provinciae regimine et, quantum quidem novi officii munia permittebant, missionarium laborum particeps esse volebat. Ita mense Novembri 1912 praefuit

missioni illi generali, quam 17 Patres nostri in civitate Paganensi ingenti cum fructu praedicarunt.

P. Provincialis, pietate in familiam nostram fulgens, effigies omnium Superiorum Provinciae ac Rectorum Maiorum depingendas et in collegio Paganensi exponendas curavit. Ipso iubente etiam primus fasciculus Annalium Provinciae per R. P. Caietanum M. Damiani a. 1915 typis mandatus est. Die 29 Oct. 1914 ossa Ven. Emmanuelis Ribera e caemeterio ad nostram Neapolitanam ecclesiam translata sunt.

Primo triennio provincialatus ad exitum vergente allatus est nuntius actuosum Provinciale a Summo Pontifice Benedicto XV ad dignitatem episcopalem evectum esse. Forsan Eñus Cardinalis Casimirus Gennari, qui bis prope sepulchrum S. Alfonsi sacro secessu per complures dies frui voluerat, et Antistites Calabri, qui omnes Patrem Cesarano bene cognoverant, oculos Vicarii Christi in hunc converterint. Praeconizatio facta est, et ad sedem quidem difficillimam Sardiniae Octeriensem (*Ozieri*), d. 8 Apr. 1915, atque insequenti d. 30 Maii confrater noster, praesentibus Eñno Cardinali van Rossum et Rñno P. Generali atque electissima confratrum corona, in Basilica Alfonsiana consecrationem episcopalem recepit.

In brevi vita, quam de defuncto Praesule Rñus Canonicus Robertus Vitale in suo opusculo *Cinque Vescovi della Diocesi di Aversa* evulgavit et quam nuper varia folia periodica repetierunt¹, de Octeriensis episcopatu haec pauca, sed argumentosa verba leguntur: « In campo magis vasto et sub tremendo episcopalis dignitatis onere sacri ardores Illñi Cesarano non habebant limites, atque in albo Antistitum illius dioecesis eius nomen inter primorum nomina refulget ». Quam duraturum monumentum sibi in animis subditorum Sardorum erexerit, apparebat clare, cum mense Martio 1935, ergo post 17 annorum absentiam, Octerium rediit, ut una cum Adm. R. P. Blasio Parlato ibi quandam missionem praedicaret; exceptus enim est exsultatione universali.

Absolute primo episcopalis muneris triennio audivit iterum: *Amice, ascende superius!* Etenim d. 30 Sept. 1918 ab eodem Papa Benedicto XV promotus est ad sedem archiepiscopalem Compsanam (*Conza*), omnibus Redemptoristis notam propter collegium Capituli Silari seu Matrisdomini, intra eius fines situm. Inde ab a. 1818 Archiepiscopus Compsanus simul est Administrator Apostolicus dioecesis attiguae Campaniensis (*Campagna*); quam rerum condicionem cum Illñus Cesarano paulatim religioni et animabus minus proficuum cognovisset, S. Sedi proposuit, ut ipse

¹ Cfr. *Bollettino della Diocesi di Aversa*, 12 Dicembre 1935, p. 190; *Il Santissimo Redentore*, Novembre 1935, p. 257; *S. Alfonso*, Dicembre 1935, p. 226.

solam dioecesim Campaniensem retineret, Compsana vero sedes perpetuo cum sede S. Angeli a Lombardis uniretur. Ita factum est d. 30 Sept. 1921, regnante iam Pio PP. XI, qui tamen personalem titulum Archiepiscopi nostro confratri retentum esse voluit.

Non placuit quidem omnibus haec ordinatio, immo in defunctum odia nonnullorum conflavit, attamen dioecesis Campaniensis, tamdiu nimis derelicta, gaudebat se tandem aliquando invenisse Antistitem sibi soli intentum, et Antistitem quidem adeo actuosum ac zelantem, cuius opera haec historica sedes mox e ruinis et squalore resurrexit. Sufficiat hic commemorare instaurationem ecclesiae cathedralis, erectionem utriusque Seminarii, et urbani et aestivi, congressus in honorem Cordis Eucharistici annis 1925 et 1927 celebratos¹, sauctuarium B. M. V. de Avigliano, commentarium officiale *La Vita Nuova*...

Exeunte a. 1931 caelestis pater familias confratri nostro novam vineam excolendam commisit, eamque maiorem et nobiliorem, scilicet dioecesim Aversanam circ. 250 000 animarum, haud procul a Neapolitana metropoli sitam. Die 3 Apr. 1932 novus Archiepiscopus eam sollemniter ingressus est, ac tres anni cum dimidio ei satis fuerunt ad totius gregis affectum singularem ac perennem sibi conquirendum et faciem dioeceseos renovandam.

Principalem curam ac sollicitudinem efformando egregio ac numeroso clero dioecesano tribuens, novus Episcopus condidit piam associationem « pro vocationibus ecclesiasticis et Seminario »; neque in vanum laboratum esse in hoc campo testatur florida condicio hodierna Seminarii. Sic d. 3 Nov. 1935 haud minus quam 47 pueri a defuncto Praesule in cathedrali habitu ecclesiastico induti sunt. Merito igitur Rmus D. Lauretus Liguori in foliis *Pia Associazione pro Vocazioni Ecclesiastiche e Seminario*, Decembri 1935, p. 3 scripsit: « De Seminario scribi nequit, quin scribenti nomen Exmi D. Cesarano excidat, sicut etiam de ipso loqui nequimus, quin Seminarium nominetur. Eius nomen cum Seminario ligatum est tanquam alterius fundatoris, et in Seminarii nostri historia nomen Archiepiscopi Cesarano, nostro quidem iudicio, culmen quoddam denotat ». Ergo ea quae gloriose regnans Romanus Pontifex Pius XI de fovendis vocationibus sacerdotalibus in novissima Encyclica *Ad catholici sacerdotii fastigium* inculcat, ea confrater noster viginti annis episcopatus sui iam semper in praxim deduxerat.

Inter tot virtutes defletum Praesulem decorantes non deerat *magnificentia*, iuxta D. Thomam inclinans hominem ad magna opera proportionatis sumptibus exsequenda. Magna enim Antistes defunctus etiam Aversae

¹ Cfr. *Analecta* VI (1927), 317 sq.

hoc brevi temporis spatio in cathedrali, in Seminario, alibi perfecit, et maiora sibi perficienda proposuerat, cum Dominus servum fidelem ad aeternam quietem vocavit.

Mors ad eum citato gressu venit, vix elapso altero mense post congressum dioecesanum in honorem SS. Cordis Eucharistici habitum diebus 24-29 Septembris¹. Quidam religiosus, qui ex officio omnibus Italiae conventibus huiusmodi interest, ait se hucusque nullum vidisse congressum tam bene praeparatum. Tali praeparationi respondit exitus splendidus, de quo etiam Summus Pontifex palam gloriatus est. Ipsius confratris defuncti anima praecipue ideo exultabat, quod tempore congressus verisimiliter *omnes* dioecesani infantiae annos egressi ad mensam eucharisticam accesserant. Sic itaque digne vitam clausit ille dignus S. Alfonsi filius, qui erga SS. Sacramentum et Cor Iesu Eucharisticum devotione vere Alfonsiana inflammatus erat et magna itinera susceperat, ut conventibus eucharisticis Chicagiensi, Amstelodamensi, Dublinensi... interesset.

Patet autem hunc genuinum Redemptoristam etiam Patrem legiferum sua erga caelorum Reginam devotione imitatum esse. Hinc stemmati suo episcopali praeter insignia Congregationis nostrae, alludens ad nomen suum baptismi, B. Mariam V. de Monte Carmelo inserere voluit cum verbis infra scriptis: *Hoc est signum foederis*².

Morbus ille, qui inde ex d. 6 Novembris 1935 operosum Archiepiscopum lecto retinuit, corpus repperit nimio labore exhaustum, sed aegrotantis virtutem animique magnitudinem in nova luce ponens effecit, ut *lucerna Dei, antequam exstingeretur*³, novo splendore illucesceret. Voluit enim confrater, semper Deo unitus, morientium sacramenta sibi tempestive administrari et SS. Viaticum perquam sollemniter apportari, cui pompae totus urbis clerus magnaue populi multitudo interfuit. Ipse in manus Rectoris nostri Paganensis vota sua Redemptoristae renovavit, cum aedificatione universali, ac toti gregi amore vere paterno benedixit. Tandem in osculo Domini quievit fer. VI, 22 Novembris, hora 10,40.

Mox coepit pia quaedam populi peregrinatio, ad ultimum vale dicendum pastori amatissimo et ultimum osculum mani illi infigendum, quae toties suis benedixerat. Corpus tumulo conditum d. 25 mensis, et ab hominum memoria Aversa non vidit funus magis sollemne magisque animos commovens. Illud hic accuratius describere non possumus, sed commemoramus tantum praesentiam Em̃i Cardinalis Ascalesi, sedecim Episcoporum, nostri Rm̃i P. Generalis suiue Consultoris P. Mazzei, denique

¹ Cfr. *Analecta* XIV (1935), 254.

² Cfr. Gen. 9,12.

³ Cfr. I Reg. 3,3.

omnium magistratum civilium, politicorum, militarium. Summus Pontifex gloriose regnans, qui iam moribundum peculiari sua Benedictione confortarat, post mortem per Emum Cardinalem a secretis hoc telegramma misit: *Sua Santità con paterno dolore notizia morte Eccellentissimo Arcivescovo Cesarano invoca eterno premio anima eletta invia con particolare affetto cari fedeli Archidiocesi confortatrice Benedizione Apostolica.*

In confratre defuncto perillustri nota valde characteristicam sine dubio fuit vividus eius in Congregationem nostram amor. Inde ab initio episcopatus sui a Summo Pontifice velut gratiam et privilegium sibi efflagitavit, ut habitum suum religiosum ordinarie retinere valeret, et sic multoties inter nos apparebat ut simplex Redemptorista, sine cruce pectorali, anulo aliove dignitatis signo. Nil gratius ei erat quam confratribus esse circumdatum aut festa familiae nostrae sua praesentia suaque eloquentia illustriora reddere. Ultimo vitae tempore consilium magnum menteolvebat: condendi in sua dioecesi pro Provincia Neapolitana aptiorem studiorum altiorum sedem.

Haud secus omnes, qui eum noverant, admirabantur eius simplicitatem et humilitatem singularem. Licet enim esset Archiepiscopus, Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus, saepenumero ad alia munera honorifica selectus (veluti cum a. 1930 omnibus Siciliae Episcopis et a. 1933 ipsi Summo Pontifici eiusque familiae exercitia spiritualia tradidit), nihilominus sese filiorum S. Alfonsi ultimum nominabat, nec patiebatur ullum confratrem sibi manum deosculari.

Quoniam ei cor erat amantissimum, os semper dulce subridens, manus semper benedicens et benefica, ideo a suo grege ardentem amabatur magnumque sui desiderium et Ochterii et Campaniae et Aversae reliquit. Inscriptio quaedam eius feretro apposita eum appellabat VESCOVO FASCINATORE, et iamiam colliguntur pecuniae ad dignum monumentum marmoreum in cathedrali ecclesia tanto Antistiti erigendum.

Quamvis Exmus Carmelus Cesarano nunquam data opera fuerit scriptor, tamen in Bibliographia nostra (II, 65 sq.) usque ad a. 1933 scripta eius amplius viginti typis impressa recenseri potuerunt. Multo plura et numerosiora sunt alia eius opera, quae qui unico intuitu collegerit, iure optimo ipsi laudem applicare poterit, quam die mortis eius Romana liturgia S. Caeciliae tribuebat: *Carmelus, famulus tuus, Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit.* Iam cessavit omnis labor, atque servus bonus et fidelis — ita quidem merito sperare licet — iamiam audivit dulcissimam summi Sacerdotis invitationem: *Intra in gaudium Domini tui.*